Bulla II. D. Gregorij Papæ XIII.

¶ *Prohibitio appellandi per Religiosos Ordinis sancti Francisci de Obseruantia à prælatis eiusdem Ordinis ad tribunalia sæcularia, permissioque habendi recursum ad Ministrum Generalem, vel protectorē, aut Romanum Pontificem, ac prohibitio resistendi Commissarijs eiusdem Ministri generalis.*

GREGORIVS Papa Decimustertius, ad futuram rei memoriam. Quoniam nostro pastorali potissimum incūbit officio, vt ea quæ ausu temerario ab Ecclesiasticis præsertim regularibus personis plerumque attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remedijs compescamus & remoueamus: idcirco, cùm referente dilecto filio fratre Christophoro de Capite fontium fratrum Minorum de Obseruantia ordinis sancti Francisci generali ministro non sine animi nostri molestia, nuper intellexerimus, nonnumquam quosdam Religiosos, & Religiosas Ordinis sui huiusmodi, Dei timore postposito, & suæ professionis immemores, vt in eorum malefactis & inobediētia se diutius confoueant ab ijs quæ per prælatos eiusdem Ordinis, etiam Guardianos, siue Prouinciales, vel Commissarios ab ipso generali ministro pro tempore deputatos acta sunt & decreta ad tribunalia sæcularia appellare, & ab ea temere confugere. Authoritate Apostolica tenore præsentiū præcipimus & inhibemus sub excōmunicationis latæ sententiæ pœna, à qua non nisi à nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquā in mortis articulo absolui possint, nec nō priuationis perpetuæ officiorum, per eos obtentorum, & inhabilitatis ab illa & alia quęcumque dicti ordinis officia exercenda, ac vocis tam actiuæ, quā passiuæ eo ipso incurrendis pœnis, ne quis prouincialis, aut alius cuiuscumq; dignitatis, status gradus & cōditionis ordinis huiusmodi religiosus, aut religiosa ad ipsa tribunalia sæcularia quouis prætextu, aut quęsito colore, vt pręfertur, appellare, vel illa propterea quoquomodo adire audeant, vel præsumant, sed si se à prælatis suis grauari prætendent, ad generalē ministrū ipsius ordinis, seu illius protectorem, aut viceprotectorem in Romana Curia, vel ad nos, siue Romanum Pontificem successorē nostrum supremū in Ecclesia Dei iudicem, sicut antiquitus semper consuetū fuit, recursum habeant, vnde illis breui manu iustitia ministrabitur. Declarantes nihilominus non modo eorumdē Religiosos, & Religiosas contrafacientes in dictas pœnas incidere, verum etiā eorum quomodolibet directè, vel indirectè factores, & consultores illas quoq; incurrere.

currere. Preterea sub pœnis prædictis prohibemus, nequis Prouincialis, aut Guardianus, vel cuiuscumq; alterius gradus Religiosus, aut Religiosa eiusdem Ordinis ab ipso ministro generali missis pro visitandis Prouincijs, Cõmissarijs resistere, nec eis se opponere, aut cõtradicere, seu se rebellẽ exhibere, ipsos quacumq; de causa, vel quæsito colore nõ recipiendo, audeat neque debeat. Volentes eundem ministrum generalem, quotiescumq; sibi expedire videbitur, quos voluerit Commissarios ad quascumque sui Ordinis vtriusque familias Prouincias quibusuis cõsuetudinibus, ac statutis per quaslibet personas in contrariũ factis non obstantibus, libere mittere possit. Insuper, quia, vt etiam accepimus aliquando nonnulli ministri ex visitatis Prouincijs, per Commissarios adhoc ab ipso generali Ministro deputatos, quæ à dictis Cõmissarijs rectè & salubriter gesta, & ordinata fuerunt, rescindere, mutare, aut cõtemnere solent, sub omnibus & singulis pœnis supradictis expresse prohibemus, ne quisquam ab eisdem Commissarijs facta & ordinata mutare, alterare, aut peruertere sine expressa licentia & permissione ipsius generalis ministri, qui solus ea mutare valeat, vllo modo præsumant. Decernentes irritũ & inane quidquid secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis etiam iuramento, cõfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, & cõfirmatis, quibus omnibus, eorum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbũ insererentur, pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum præsentiũ specialiter & expresse derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscũque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die octaua Aprilis millesimo quingentesimo septuagesimoquinto, Pontificatus nostri anno tertio.

¶ *Fecho, sacado, corregido y concertado fue el presente traslado de vn Bulario, authorizado por el Licenciado don Iuan de Salcedo, Canonigo, Prouisor, y Vicario General de la Diocesis de Salamanca, y signado por Felipe Salgado, Notario publico Apostolico, de que yo Bernardino Ansaldo Notario publico Apostolico, y escrito en el Archiuo de la Rom. Cur. residente en esta Corte, doy fee. En la villa de Madrid à 29. de Mayo de 1623. años, siendo presentes por testigos a lo ver sacar, corregir y concertar Alonso de Paredes, y Pedro de Robles. estantes en esta Corte, y en fee dello lo signè y firmè.*